

AD D. LVDOVICVM GVIC-
CIARDINVM, IN SVAS BELGII
ILLVSTRATIONES, CARMEN
IOAN. LATOMI.

QUID tibi pollicear pro tanti munere scripti,
GVICCIARDINE, decus scriptorum nobile, quo res
Belgarum tantis, sed veris laudibus effers,
Illa, quam propriam tellus sonat Itala, linguam?
Quid tibi pollicear? carmen? numerosus es ipse,
Et potes è media condicere Phocide Musas;
Atque adeò in nostras habitatum abducere terras.
Pollicear linguam? facundo scilicet infans?
Ipse cui Pericles laudem concesserit oris,
Et Plato scribendas ausit committere leges?
Pollicear mentem? qui plus aduerteris vnus,
(Non vetus à proavis, oriundus sanguine Thusco,
Sed primus generis, vix ut sit patria, ciuis)
Legibus in nostris, in moribus, urbibus, agris,
In que toga, inque armis: plus, inquam, videris vnus,
Quàm nos indigena tot inertia pectora Belgæ?
Pollicear titulos, perpèsque in fastibus eorum?
Ast hac tu præstas cum primis arte, potèsque
Ignotis famam, tenebrosis lumen, ineptis
Pectus, id est cunctis titulos imponere rebus.
Ergòne quòd nobis hac eripis omnia, grati
Non erimus Belgæ: quos tanto in lumine fama
Ponis, & æquatis cum quavis gente trophæis,
Felices tarda monètras habitare sub Arcto?
Immo erimus grati. si queris, quomodo? muti
Te nostras laudes omnes superare loquemur.

EIVS.